



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Si boni & mali inuicem se videant. E

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



stillam de Lazari digito cupisse. Sed melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Diuitem in supplicio, pauperem in refrigerio esse non dubito. Sed quomodo intelligatur diuitis lingua, digitus Lazari, flamma inferni, sinus Abraham, & huiusmodi, vix à mansuetis, à contentiosis autem nunquam inuenitur.

*Si se vident boni & mali.*

*Glos. or. hac  
habet ad il-  
lud cap. 16.*

*Luc. Eleuās  
autē oculos.*

*ex ho. 40 ad  
illud idem.*

*Greg.*

Solet etiā queri, Vtrum vicissim se videant illi, qui sunt in inferno, & illi qui sunt in gloria? Sicut sancti tradunt, & boni malos, & mali bonos vident vsq; ad iudicium. Post iudicium vero boni videbunt malos, sed non mali bonos. Vnde Gregor. Infideles in imo positi, ante diem iudicii fideles super se in requie attendunt, quorum gaudium post contemplari non possunt.

*De chaos inter bonos & malos.*

*Greg. ad il-  
lud Luc. 16.*

*Et in his o-  
mnibus in-  
ter nos ho.*

*40.*

Sed cum sancti malos in tormentis videant, nonne aliqua compassione erga eos mouentur? nonne eos de tormentis liberare cupiunt? Recole illud euangelicum, quod Abraham diuiti respondit. Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt transire ad vos non possint, neque inde huc transire. Quid est illud chaos inter bonos & malos, nisi hinc iustitia, inde iniquitas, qui nullatenus sociari valent? Adeo enim sancti Diuinitati iustitiæ addicti sunt, ut nulla compassione ad improbos transire valeāt, nulla pro eis inter sanctos fiat intercessio. Quomodo ergo inde volunt alii transire ad illos, sed non possunt? quia si Diuinitas iustitia admitteret, non fieri eis molesta liberatio eorum. Vel ita dicuntur velle & non posse: non quia velint, & non possint, sed quia etsi vellēt, non possent eos iuuare. De hoc ita Gregor. ait. Sicut reprobis à poenis ad gloriam Sanctorum transire volunt, & non possunt: & ita iusti per misericordiam diuinitatis ire volunt ad positos in tormentis, ut eos liberent.